



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXX. Concluditur disputatio diuino testimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

lam (*Filioꝝ*) non aliquis particularis Episcopus, Clericus aut Laicus Symbolo addiderit, sed summus totius Ecclesie pastor, & Concilia generalia tria id ipsum probauerunt: ad bium esse non potest, quin id iure factum sit.

Sed rursus quidam obiciunt: etsi licuerit Latinis per eam additionem explicare Symbolum, tamen non videtur debuisse ipsa explicatio apponi in Symbolo. Si enim omnia quæ definiuntur circa Symbolum, ipsi Symbolo addenda essent, multa alia fuissent addenda; vt Virginem esse Deiparam; Christi corpus verè esse in Eucharistia, licet ascendit in cælum; & alia.

RESPONDEO, non omnia debere poni in Symbolo; tamen hanc particulam rectè fuisse appositam, propter duas causas. PRIMO, quia post exortam hæresim, ipsum Symbolum sine hac particula dabat occasionem errandi. SECUNDO, quia facilè addi poterat sine additione noui articuli, mutatione notabili ipsius Symboli. quæ causæ in aliis additionibus locum non habent. Nec tamen negamus, potest ad aliquam aliam particulam ad maiorem explicationem, id summo Pontifici, aut Concilio orbis terræ capere deatur.

CAPVT XXX.

Concluditur disputatio diuino testimonio.

NAM ad finem totius disputationis placuit citare diuinum siue iudicium, siue testimonium. Nam Deus multis modis ostendit post exortam schisma, vtri errent, Græci an Latini. Nam ad tempus schismatis ita floruit Græcia viris doctis & sanctis, vt omnia Concilia generalia apud Græcos celebrata sint; post schisma autem per annos ferè DCCC. nullum habuerunt Concilium, nullum virum sanctum miraculorum, paucissimos homines doctos. Latini verò hoc tempore habuerunt duodecim generalia Concilia, & innumerabilia particularia. Item singulis ætatibus viros multis oculis clarissimos, nouos ordines religiosorum, plurimos homines doctos.

Præterea hoc tempore fides Latinorum propagata est ac-
cessione Indorum Orientalium, & noui orbis in Occidente:
fides Græcorum minuitur indies quotidie, Græci in Conci-
liis conuicti ad nostrâ fidem conuersi sunt quater, aut quin-
quies, & fortassis etiam sæpius; & semper ad vomitum suum
redierunt.

Latini semper in disputationibus superiores in eadem fi-
de & doctrina permanserunt: denique apud Latinos regna,
& imperia potentissima adhuc florent, imperium verò Græ-
corum per Turcas Christi hostes euersum, ac destructum est
penitus, ipsiq; omnes in miserrima seruitute degere, grauif-
simumq; iugum captiuitatis perferre coguntur.

Ac vt intelligant causam exitij sui esse pertinaciam in er-
rore de processione Spiritus sancti; in ipsis feriis Spiritus san-
cti capta fuit Constantinopolis à Turcis, Imperator occisus,
& imperium omnino extinctum. Nam vt probat GERAR-
DVS Mercator in sua Chronolog. anno M. CCCC. LII.
die 28. Maij indixit Mahumetes exercitui suo vltimam op-
pugnationem, & sequenti die Constantinopolim cœpit. il-
lo autem anno fuit Pentecoste die 28. Maij, vt planum est ex
aureo numero, & litera Dominicali, vnde festa mobilia in-
uestigantur. Erat enim aureus numerus 9. & litera Domi-
nicalis A. Itaque multi comparant Ecclesiam Græcam
regno Samariæ, quod separauit se à vero templo,
& tandem in captiuitatem perpe-
tuam adductum est.

*Appianus in sua Cosmographia
p. 114. ponit annum, 1453.*

*7. Aprilis. In uniuersa parochia. 8. Apr.
& sic 28. die Maij 1553.*

